

Or. VII. Homo aetate provector, qui fundo colendo intentus a republica se abstinebat, a Nicomacho apud Areopagum accusatur, quod oleae sacrae truncum anno 397/6 ex agro sustulisset, cuius sceleris poena exilium et bonorum publicatio constituta erat. Reus vero anno 404/3, quo tempore agrum illum emisset, oleam nullam in eo fuisse probat. Atque causa acta videtur non ita multo post annum 395. Quod Paulus $\delta \ \epsilon \kappa \ \text{Μυσίας}$ apud Phot. cod. 262 orationem a Lysia abiudicavit, nihili est. Cf. Meutzner Progr. Plauen 1860.

Or. VIII. Hac oratione, quae pessime corrupta ad nos venit, homo quidam argumentis sophisticis usus resque, in quibus versatur, leviter attingens magis quam accurate exponens familiaritatem sociis quibusdam renunciat. Ut in iudicio habitam non esse apparet, ita Lysiae non esse fere constat. Tamen vix cum Buermanno Herm. X 347 sq. eam exercitationis causa confectam credideris. Atque quod vocallium hiatus evitari videtur (Benseler, de hiatu 183) exeunti fere saeculo quarto attribuunt, quod ne verum esse existimem forma vetus $\xi \nu \nu$ - obstat, quam praeferrere videmus. Epitomen esse voluerunt Dobree, Gleiniger Herm. IX 150, Stutzer ib. XIV 529. Praeterea cf. Pertz quaest. Lys. II 16 Clausthal 1857, Kirchner Progr. Demmin 1869, Fritzsche diss. Jen. Rostochii 1877, Hallensleben, Progr. Arnstadt 1887

Or. IX. Polyaeus, duobus fere mensibus ante domum reversus, cum iterum a praetoribus ad stipendium evocaretur, contumeliis usus pecunia multatus est, quam multam praetores exeunte anno ad Minervae quaestores detulerunt. Hi vero causa cognita poenam remisisse dicuntur. Atque Polyaeus, cum stipendio functus redisset (§ 17), tertio anno ab homine aliquo, quem praetores illi subornasse videntur, per $\alpha \rho \omicron \gamma \rho \alpha \phi \eta \nu$ in ius vocatus, quod multam non pependisset, hac oratione se defendit. De tempore certi nihil scimus, quamquam propter crebras Atheniensium expeditiones, quae commemorantur, iure Blass ad belli Corinthii tempora causam referre videtur. Lacuna una certe patet, plures inesse sunt qui suspicentur. Lysiae non esse veri simillimum est, epitomen esse arbitrantur Halbertsma lect. Lys. 17, Albrecht